

columitatis pertinet et salutis. Nam cum corpus e terra, et spiritum possideamus e coelo, ipsi terra et coelum sumus; et in utroque, id est, et corpore et spiritu, ut Dei voluntas fiat oramus. Est enim inter carnem et spiritum colluctatio, et discordantibus adversus se invicem quotidiana congressio, ut non quae volumus ipsa faciamus, dum spiritus coelestia et divina quaerit, caro terrena et saecularia concupiscit: et ideo petimus impense inter duo ista, ope et auxilio Dei concordiam fieri; ut dum et in spiritu et in carne voluntas Dei geritur, quae per eum renata est, anima servetur. Quod aperte atque manifeste apostolus Paulus sua voce declarat: Caro, inquit, concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem: haec enim invicem adversantur sibi, ut non quae vultis ipsa faciatis. Manifesta autem sunt opera carnis, quae sunt adulteria, fornicationes, immunditiae, spurcitiae, idololatria, veneficia, homicidia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, animositates, provocationes, similtates, dissensiones, haereses, invidiae, ebrietates, commensationes, et his similia, quae praedico vobis, sicut predixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Fructus autem spiritus est caritas, gaudium, pax, magnanimitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, castitas. Et idcirco quotidianis, immo continuis orationibus hoc precamur, et in coelo, et in terra voluntatem circa nos Dei fieri: quia haec est voluntas Dei, ut terrena coelestibus cedant, spiritualia et divina praevaleant. Potest et sic intelligi, fratres dilectissimi, ut quoniam mandat et monet Dominus etiam inimicos diligere, et pro iis quoque, qui nos persequuntur orare, petamus et pro illis, qui adhuc terra sunt et necdum coelestes esse coeperunt, ut et circa illos voluntas Dei fiat, quam Christus hominem conservando et redintegrando perfecit. Nam cum discipuli ab eo non jam